

**Dissertatio inauguralis medica de purpura puerperarum ... / moderatore ...
Georgio Wolffgango Wedelio ... submitta à Georgio Friderico Rumpelio ... M
DC XC.**

Contributors

Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Rumpel, Georg Friedrich, 1662-

Publication/Creation

Jenae : Litteris Krebsianis, [1690]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/tb4tu84q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

PURPURA PUERPERARUM,

Ex decreto atq; Autoritate Gratiosissimæ Facultatis Medicæ,
MODERATORE

MAGNIFICO ACADEMIÆ SALANÆ
PRO-RECTORE

GEORGIO WOLFFGANGO
WEDELIO,

Medic. Doctore, Consiliario & Archiatro
Saxonico, Theoretices Professore Publico Ordinario, Fa-
cultatis Medicæ h. t. Decano,

*Patrono, Præceptore ac Promotore summo observantiæ
cultu ad urnam usque devenerando,*

PRO LICENTIA

Summos in arte Medicâ Honores, Insignia ac Privilegia Doctoralia,
more majorum solenni, capeffendi, publico Philiatorum
scrutinio submissa

à

GEORGIO FRIDERICO RUMPELIO,
Vinariensi,

IN AUDITORIO MAJORI,
Horis ante & pomeridianis consuetis,
Ad diem Decembr. ANNO MDC XC.

DISSERTATIO IN VITAE MEDICA

PURPUREA RARISSIMA

PROFESSORIS
MAGNIFICI ACADEMIAE STAVANAE
PRO-RECTORIS

GEORGIO WOLFFGANGO
WYDELLIO

Medic. Doctori, Consilio & Archiatro
Sacro-Romanae Imperialis
Austriacae Regiae
Medicae D. C. Decano,
Patris, Praeceptoris ac Praeceptoris
in Universitate Medica

PROLEGOMENA
Summos in arte Medica honores, insignia et Privilegia Doctorum
more maxime solentur, et debent, habere Praeceptorum
tamen in vita

GEORGIO WOLFFGANGO WYDELLIO
VIRIDIS

IN AUDITORIIS MAJORIBUS
Hortens & promissionibus continetur
ANNO MDCCXXII



B. C. D.

PROOEMIUM



Ulm, juxta elogium *Epiphanii Ferdinandi*, duo sint gravia in arte medicâ, infantibus & gravidis mederi, minus à veritatis tramite alienum fuerit, si & puerperis mederi, gravissimum esse asseratur.

Non dicemus, foeminam omnem morbum bis pati, secundum *Helmontii* verissimum effatum, uterumque τῶν ἐν γυναικὶ ποχθῶν μυχίων ἀσθενῶν, millenarum ærumnarum in muliere autorem esse, ut longè verissimè *Democritus* epist. ad *Hipp.* de nat. human. testatus est, vel unicus partus est instar omnium.

Hic non tantùm in præsens faceffit negotium, ut eluctetur foetus feliciter, & vitales edatur in auras; ut mater evadat ipsa, deposito summi momenti liberata, ut salva & incolumis maneat, nullo relicto violentiæ vestigio; sed & in futurum eget cautione providâ, quò differtur periculum sæpè, prius non animadversum.

Instar omnium aliorum ad se nos vocat jam PURPURA PUERPERARUM, tanto magis sollicitè inquirenda & dirimenda, quanto funestior esse consuevit eadem correptis.

Hanc itaque curam dum suscipimus in præsenti Inaugurali specimine, divinum imploramus numen, ut omnia eveniant feliciter!

CAPUT

Nominis acceptionem & definitionem realem sistit.



Uæ aliàs gaudia & triumphos comitatur purpura, affectui etiam periculoso nomen dedit. *Propriè* verò & κατ' ἐξοχήν purpura notat succum aut sanguinem animalculi testacei, cochleæ marinæ in genere, & in specie muricatæ, (quæ & ipsa hoc nomine quandoque venit,) indeque petitum pigmentum regii ornatus olim specimen. *Impropriè* tum ipsam vestem vel epomidem purpuream, tum insignia honoris & magistratum, ut septima purpura pro septimo consulatu apud *Flor. lib. XII. cap. 4.* dicitur; & denique analogicè colorem similem purpureum, seu saturatè rubrum, seu quasi talem. De singulis hîsce accuratissimè & fufius agens legi meretur celeberrimus Academia Kiloniensis Doctor *Job. Dan. Major, annot. ad Fab. Columnæ de purp. cap. 1. p. 6. seqq.*

Seorsim apud Medicos non uno nomine venit, qui in describendo colore florum, sanguinis & medicamentorum, purpuræ voce utuntur, uti & apud *Aetium tetrab. 4. serm. 3. c. 12.* emplastrum denotat cruenta vulnera glutinans. Cum primis autem purpura notat corporis exanthemata rubra floridaque, quamvis à morbillis, magis communi malo, si quidem usum loquendi attendamus, distinctas.

Purpura ergò duplici notione medicis attenditur, extra febrim & febrilis. Extra febrim exanthemata seu efflorescentiam cutis rubicundam, & ferè à motu fortiori factam, vel scorbuti etiam fœtum, cum pruriginosâ cutis elevatione & rubore, cum φλογώσει, conspicuam & transitoriam, minus autem corpus lædentem, notat. Germanis audit *der Friesel.* Datur verò præter simplicem hanc &

& longior graviorque, quæ purpura scorbutica meritò audit. Meminisse videtur illius *Cous l. 2. de morb. c. 68. r. 10.* ubi καὶ καταπίμπλαται, ait, πολφῶν ὡς ὑπὸ κνίδος & rubicundis cutis eminentiis impletur, velut ab urticâ inustis.

Occurrunt tales maculæ volaticæ purpureæ etiam in infantibus, quarum meminit *Sennert. lib. V. Med. Pract. Part. III. cap. 4.* & vocantur ab ipsis der Flug junger Kinder. Imò ipsos infantes purpura exercet genuina non rarò, ita quidem ut ad abusum usque mulierculæ hanc accusent sæpe. Visuntur etiam in ipsis scorbuticis maculæ purpureæ, quales & in febribus tertianis ut & quartanis observatæ fuerunt.

Febrilis itidem duplici notione comprehendit latius petechias, speciali nomine dictas, seu maculas culicum morfibus similes, febrim acutam consequentes; strictius febris petechialis speciem, purpuram miliarem, & nobis hoc loco purpuram puerperarū *Hippocrates l. 2. epid. f. 3. t. 21.* vocat τρηχίσματα ἐν τῷ χρωπὶ κεγχρώδεα τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινόμενοισι μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν, & πάνυ κνησµώδεα, *asperitudines in cute miliaceas, culicum morfibus maximè similes, non valdè pruriginosas.*

Hinc purpuræ nomine conjunctim febres malignas insignivit *Neueranzius* libro, quem de purpurâ scripsit. Germani verò, quod purpuram illam primi generis referret hic puerperarum affectus, den *Griesel* illud nomen commune fecere & huic, præcipuè quod & levior sæpè sit, & eidem similior, forsan à crispaturâ cutis & asperitudine desumptâ magis nomenclatutâ. Æmulatur enim cutim anserinam, quo nomine & frigore crispatam efferunt aliàs.

Neque tamen hinc putandum est, novum esse hunc morbum & nostro demum seculo natum, cum, si antiquos audiamus medicæ artis parentes, febres puerperarum fuerint veteribus cognitissimæ, variantes licet pro regionis, individuorum & aliarum circumstantiarum

modulo. Secus sentientes ad unicum *Hippocratem* ablegasse sufficiat. Atque hæc significatio purpuræ hujus est loci, quæ dicit febrim puerperarum acutam. Synocham cum maculis rubicundis vocat *Timæus l. 8. cap. 5.* Quamvis verò non unis solis puerperis hæc sit propria, sed, si volumus fateri quod res est, etiam in viris malignitas febrilis hæc facie sit conspicua nonnunquam, speciatim tamen illas exercet, unde de ejusdem pathologiâ tractare licuerit. Nec opus etiam est, ut actu semper adsint exanthemata, vel purpurata illa asperitas, satis est convenire eam in essentialibus, & sæpius hinc consequi ejusmodi eruptionem characteristicam, ad oculum confirmatam exterius. Idem tenendum est de maculis ipsis.

Perlustratâ nominis acceptione, ut ad DEFINITIONEM realem progrediamur, ordo nos jubet. Est itaque Purpura puerperarum febris continua, ut plurimum exanthematica, à fermento peregrino, occasione partus prævii enato, proveniens.

GENUS seu Ratio formalis est febris eaque continua. Febris est, quia calor est efferatus, si non notabiliter semper ad extra, vel ad sensum ægrotantium, tamen ad intra & in radice, quamvis illud ordinariè satis superque observetur. Continua, utpote contradistincta intermittenti, quâ cum & puerperæ aliquando conflictari observantur. Continuum dum dicimus porro, liquidò patet eandem facile participare de malignitate. Satis fuerit nosse, continuitatem malum morem frequenter & pressò pede comitari sæpius, ut si malignitas à priori non adsit, à posteriori tamen accedat & consequatur. Neque etiam absolute omnes febres hæc etiam purpuratæ puerperarum æqualis sunt malignitatis, quin mitiores quædam, quædam peiores se monstrant. Continua item dicitur, quod remittere quidem, non verò intermittere, sed sine cessatione exagitare corpus soleat, utut interdum mitius, interdum fortius id fiat, ut distinctis gradibus hæc variare deprehendimus toto die.

Ut

Ut itaque singula illa complectamur, indifferenti hoc titulo uti liceat, sapientibus interim satis dictum putantes, cum in quibusvis continuis *κακὸν* *ἰσεία* sit attendenda, sive quod adfit, sive ne accedat, neu fallat, sed avertatur. Idem dictum est de ardentis voce. Omnis enim continua etiam ardensest, *Hippocrati* solo *πυρεῖς* nomine veniens.

DIFFERENTIAM SPECIFICAM addunt reliqua verba. Enimverò partui debetur, & originem ab hoc mutuatur, seu *πρόφασιν*, quo solo etiam à petechiali aliâ potissimum distinguitur, cum quâ quoad essentiam convenit omnino, & petechias loco purpuræ aliquando exhibet, unde & ad alios contage suâ, si gravior fuerit, transit. Differt verò causâ speciali & conjunctis hinc accidentibus aliis, ut singulari hâc suâ pertractatione tanto penitius cognoscatur & curetur; differt fermenti accessoriis aliis modis, ut de statu diverso exanthematum plura addere superfedeamus.

CAPUT II.

Subiectum proponit.

Subjectum hujus febris ut indagemus, ipsa affectus ratio jubet, partim ut ejusdem sedes & natura eò magis elucescat, partim ut loco affecto eò promptius subveniri possit. Melioris autem ordinis gratiâ distinguimus inter subjectum principale & minus tale, sive adæquatum: illud nominando, in quo affectus primariò refidet, hoc, quousque se extendit; ut & in subjectum morbi & causæ.

SUBJECTUM PRINCIPALE morbi hujus est cor, collectivè consideratum cum sanguine, tanquam causâ fociâ, impellens instrumentum cum impulsis contentis. Cor uti caloris nativi ac spirituum vitalium fons & officina est, quorum influxu continuo insitus partium calor ac spiritus in actum deducitur, & continuo vegetatur; ita non minus

minus caloris præternaturalis seu efferati genuina sedes est.

Afficitur cor in purpurâ hâc, ut pars similis, primario quidem (si distinctionem receptam sequamur, ad diversos gradus concipiendos non incommodam) quoad partes fluidas, secundario quoad reliquas. Non levior solum spirituum incalescentia adest in statu magis exquisito, uti sanè ephemeræ tales seu diariæ plurium dierum puerperis non sunt infrequentes; sed fermentum putredinosum peregrinum exquisitius massam sanguineam inquinat. Inde verò ob improportionem etiam solidæ fibræ putamotrices, à materiâ acri lancinante vellicantur, unde earum incolæ, spiritus, in motum celeriores rapiuntur, quo factò systole & diastole hujus nobilissimi visceris fit frequentior, & calor major, uno verbo febris.

Hinc verò expanditur fermentum hoc febrile, mediante vi insitâ cordis elasticâ, ab arteriis per universas corporis partes. Adeoque SUBJECTUM ADÆQUATUM est totum corpus, cum suis partibus, capite, extremis, & aliis, cum singulis communicatâ illâ intemperie.

SUBJECTUM CAUSÆ, seu focus, est ipse uterus, juxta Hippocratis effatum l. 2. de morb. mulierum cap. 1. omnium morborum sequiori sexui contingentium fons & origo. Arvum illud genitale est & domicilium fœtus, quorsum, simul ac fœcundo contagio conceptio facta fuit, spiritus & sanguis dispensantur, & ad fœtum γένοιτο impenduntur, nullo interea temporis per nonim estre temporis spatium soluto tributo. Distenditur ipse pro fœtus incrementis modulo, ut capax satis sit spatium pro eodem cum suâ supellectili domesticâ, secundinâ, membranis, & humoribus, fovendo, nutriendo & asservando. Distenditur, quod mirum est, quoad ipsam suam substantiam, turgescentibus glandulis, fibris, & poris, densatus magis

ob

ob affluxum commeatus majorem. In partu verò hinc justâ fœtus perfecti maturitate, elatere citato constringitur, ejusdem nisu proprio adjutus, ut liberatus pondere hoc concredito pristinum recuperet sensim habitaculum, & secum habitet.

Hoc verò opus, hic labor est, sive fœtum ipsum spectes, sive uterum aliâ facie videndum. In fœtus enixu dolorifico stringuntur fibræ & omni motu impelluntur, summo labore & tantum non spasmodico sæpe. Egresso fœtu, ubi omnia jam in vado esse putaveris, restat, ut repurgetur conclave, ut lochia probè fluant & absolvantur, emanante primo sanguine puro, postea sanioso, recentis carnis loturæ simili, denique ichoroso. Unâ mutato commeatus necessarii apportandi loco, magazinum Arabico nomine communi fas sit vocare, ad mammas jam amandari debet affluxus. Sicubi hæc benè procedunt, benè est, & lætum ac felix puerperium succedit; sin minus, & in præsens pericula cuduntur in corpus, & sæpè in futurum vitæ tempus triste relinquitur vestigium; frequenter verò satis subnascitur purpura nostra, cujus ex hisce fontibus scaturiens causa jam inquirenda venit.

CAPUT III.

Causam immediatam & mediatas proximiores examinat.

CAUSA IMMEDIATA purpuræ est fermentum peregrinum in massam sanguineam illatum, ibidemque has turbasciens. Fermentum vocamus, ob vim immutandi insignem & motum intestinum particularum, ne alia fermentationis elementa, vel effectus laudemus. Simul ac enim emicuit, mox inæqualitate suâ temperiem immutat, miscelam pervertit, calorem prius æquabilem alterat & efferat, motumque citat rapidiorem,

quæ omnia machinæ inconvenientia necessariò hinc actionum læsio & multifaria symptomata consequuntur.

Majores nostri *ὁν ψιν putredinem* dicebant, quod nec ipsum est incongruum, modò non intelligas putredinem physicam, propriè sic dictam & totalem, quæ totam massam sanguineam destruit, sed medicam, impropriè dictam & particularem, quæ sanguinis consistentiæ aliquam putredinis notam inurit; quo significatu febres putridas describit *Willis l. de febr. cap. 16.*

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est alteratio, ichoreſcentia & corruptio humorum vitalium, ob causas alias tum communes, tum proprias, quæ si ad illum gradum devenerit, ut archei jugum excutiant & *μιάσμα* fermentificum vitalem turbet purpuram, morbus præstò est.

Abſit autem, ut putemus ipsum sanguinem toto gestationis tempore retentum hoc ipso à naturali suo statu recedere & ad præternaturalem inclinare, unde corruptioni & putredini fores pandantur. Retinetur enim secundum naturam, quia impenditur ad suos usus, quare innoxius est, nec virulentia ullius, sibi quidem relictus, vel ante conceptionem vel post illam, particeps. Ex propriis potius causis alia laudanda, quæ, ut quantitate, qualitate & motu delinquat, non parum concurrunt.

Primo loco memorandi veniunt *dolores graviores*, partum difficiliorem naturalem comitati, inde enim tensæ & irritatæ plus justo fibræ, partim motum inferunt, fluidis citatiorem, partim *σάπιν* hinc inde in poris elateris æquabilitate in provolvendo labefactatâ. Quæcunque hinc puerperæ difficilius & gravius affectæ sunt in partu, promptius fomentum febrile peregrinum incurrunt. Adde, vires debiles sic redditæ ad inordinationes reliquas magnum conferre momentum. Visæ sunt puerperæ ex his causis aliæ convulsionibus, aliæ syncope lethali correptæ, ocyusque defunctæ, nedum febri.

Deinde præter hæc ad febrim purpuratam facilè abeunt

eunt humores, ob *lochia* retenta, vel immodicè quoque fluentia; illa positivè magis, frequentius, & per se, hæc privativè, & per accidens, rariusq̃. Solent *lochia* retenta præ aliis accusari, & non immeritò, unde illud *Christ. Lang. in miscell. cur. p. 143*. *Lochia* retenta puerperis purpuram pestis sororem pariunt. Sanguis enim extravasatus grumescit, corrumpitur, & inputrilaginem abit, elogio 5. *aph. 20*. nec archæi dominium amplius agnoscit, suppuratur. Hinc & febriles insultus & enormes convulsivorum motuum ideæ propullulant, quando ad exitum destinatus & subsistens humor, quando effluvia illa peregrina, massæ sanguinæ remixta vitiosas fermentationes, sanguinis ebullitiones, nervosarumq̃ partium vellicationes ac rosiones citant Tacemus rationem à *Langio* laudatam, putredinem & corruptionem animatam confestim concipi.

Quæ & quanta symptomata consequi possint & soleant aliàs à sanguine extravasato, *Langius l. 2. epist. 31*. videri potest, qui latius illa recenset. Nec sanguis solum retentus, sed & serum non promptè in motum iterum citatum, fermentum è *σύνεσις* & ichorescentiâ in glandulis uteri concipit, & corpus damnis his gravius mactat.

Quin tertiò ipsa *inflammatio*, Coo sæpius laudata, & erosio uteri aliquando conjuncta, in causarum hoc censu statui potest. Sive enim motu fortiori *πνευματισμός* sanguinis ad uterum fiat, quod eo tempore occasione partus non difficulter contingit, sive acrimoniam subeat majorem stagnans humor, villos findens & rodens, utroque nomine *σύνεσις* promptè adest. Circulo verò sanguinis læso, & nihilominus urgente, tam alibi quàm hîc abripi particulæ sanguinis possunt, quæ vitali charactere ex parte deposito, cum spirituescere & novum in corde vigorem recuperare nequeant, solenni naturæ more ad extimas partes deponuntur. Vidit *D. Præses* ab inflammatione renum talia stigmata rubra, livida, crispata, purpuram talem, in duobus juvenibus; vidit à vulnere capi-

tis neglecto similia, ut hæc ratio resorptarum particularum sanguinis, ad *νένεωσιν* dispositarum, inter alia videatur maximè attendenda. Velificantur eidem salia volatilia plus justo abundantia, sulphuri impuro nupta, quæ propulsa hoc colore hinc efflorescunt.

Accedit quartò, mutato jam rerum statu, & affluxu ad mammas citato majori, *lactis proventus novus*, relicto ad depletionem utero. Quod si itaque & hoc pacto ob lymphæ segmenta, ad glandulas mammarias vocatæ, magis reliqua massa alterationem subeat, nec possit omnibus parem se præstare archeus, vel subigendo heterogeneo, vel segregando noxio, dum vacat novo operi, tanquam magis necessario, faciliorem labem perferentiscit, in reliquum corpus redundantem.

Ex hac ejusdem defatigatione, & respectivè debilitate, vapores etiam ac halitus confurgunt facilè è stagnante in torulis uteri sanguine & sero, halitus putredinosi, acres, tensivi, qui in fluidorum sphæram recepti, imò ad intimiorem nervorum medullam admissi, promovenent vitalis purpuræ deformationem & morbificam *γένεσιν*.

CAPUT IV.

Causas mediatas remotiores exhibet.

Explicatis causis proximioribus, tanquam magis propriis, jam CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES, veluti communes, investigandæ veniunt, quæ non minimum suo loco prioribus illis ancillantur.

E NATURALIUM classe primum sibi vendicat locum TEMPERAMENTUM, cum primis sanguineum, calidum & humidum. Hoc ipsum quamvis temperatè & benè se habens sit optimum, ad suscipiendum tamen fermentum putredinosum, indeque factam alterationem morbosam, magis dispositum.

Si SEXUM spectemus, purpura sequiori magis propria est, saltem quoad proprias illas causas & conditionem pariendi, quibus positis non potest non singulare easdem manere fatum etiam quoad purpuram. Unde cum hisce legibus sint subditæ fœminæ, nil alienum putari debet, quod easdem consequitur.

ÆTAS juvenilis & media succiplena huic calamitati commodissima. Frequentius quoque hæc febris accidit primiparis, plethoricis & cacochymicis, quæ partim ob partus imperitiam varios errores committunt facile; partim, ob intempestiva obstetricum in excludendi fœtus promotione iussa, omnes corporis nervos intendunt. Hinc, à nimia corporis exagitatione & motu spirituum, effrenem ferociam & exaltationem corporis ac humorum facile reportant.

Attendendus etiam meritò est HABITUS corporis. Non solum enim fœminæ præ maribus tenerioris sunt texturæ & vitæ delicatiori adsueta, sed & alia præ alterâ minus huic oneri est ferendo. Quare quo rarioris sunt conformationis, eo gravius afficiuntur & facilius. Fœmina nobilis, papyracei & cerei habitus, à primo partu purpuram experiebatur, cum tantâ crurum impotentiâ, ut per aliquot hebdomadas illis insistere non valeret; à secundo, repetito eodem morbo, succumbebat. Hinc & rusticæ & laboribus adsuetae facilius & felicius evadunt.

Ex CAUSIS NON-NATURALIBUS plurimum huc confert AER frigidus, puerperis summè hosticus. Hic enim & poros totius corporis constipat, & seorsim ad uterum ejusque finem & tubulos hiantes magis admissus condensat sanguinem, coagulat, & in grumos cogit, ipsumque non minus ac nervosam uteri substantiam vitiosè sic alterat, unde lerna malorum & febris periculosissima, prout corruptionem majorem vel minorem offendit, propullulat, quo de vid. *Sennert. lib. 4. part. 2. sect. 7.*

c. 11. *Sylv. Prax. Med. lib. 3. cap. 8. D. Pras. in Amœnit. M. M. p. 374.* De lochiorum item retentione ex partu laborioso in nondum excalefacto conclavi *Timæus lib. 5. cas. 28.*

Disponunt quoque **MOTUS & QUIES**: ille quidem, si non quiescat puerpera, ut decet, sed *οἰσιν* esse velit, & plus justo fidat robori apparenti residuo, unde pœnas mox luit sat graviter; Hæc verò, si tempore ingravidationis otio & vitæ sedentariæ nimis indulserit, accumulatis sic magis humoribus & torpidioribus redditis.

SOMNI defectus, & VIGILIÆ sic continuatæ, puerperis purpuram adferunt sæpissimè. His enim spiritus & humores exagitantur, vires dejiciuntur, & serum blandum, mite, absumitur & dissipatur, humores acres redundantur, febriumque atque deliriorum mater fecunda existunt.

Idem etiam dictum esto de **CIBO ac POTU**. Enimverò cum partus in suo genere æquipolleat morbo acuto, adeoque non nisi tenuem victum admittat archeus, si deliquerint in contrarium, noxa præstò est. Hinc rectè *Willisius l. de febb. l. c.* causæ evidenti annumerat, si puerpera primo aut secundo puerperii die carnes animalium, aut illarum juscula consummata, aliaque edulia crasi adversa largiter assumat, unde in visceribus indigestio & magnæ molestiæ, atque in sanguine ob succum nutritium debito opimiorum turgescentiæ febriles exoriantur.

Longè magis id valet de carnibus suillis, vel cibis crudioribus, coctisque difficilioribus, fumo induratis, piscibus muriâ conditis & exsiccatis, item humore excrementitio pollentibus aliis, ut fructibus æstivis, cerasis, prunis, pyris, uvis, facillimè fermentationem peregrinam suscitantibus. Vini potus, imprimis largior & inter convivia genialia in gaudii & affectus vicem celebratus haud infrequens, tristem post se relinquit effectum, purpuram, ne dicamus de potu frigido & aliis erroribus in diætâ.

Quoad EXCRATA & RETENTA, quantum sudoris inhibio

hibitio pororumque liberè hiantium subita constipatio ad febris cujusvis, nedum puerperalis, originem faciat, aliunde notissimum est. Cum enim ex liberiori perspiratione unicè sanguinis vigor promoveatur, ex ejusdem concentratione ac pororum condensatione expedita, ad fermentificum statum est via. Alvi remora ipsa, solennis puerperis, ob vicina intestina compressa, & si non sursum sic magis retrusa scybala, dilata tamen longius in descensu suo ad pelvim communem, symbolam suam confert.

Cumque ANIMI PATHEMATATA, ut ira, metus, curæ, tristitia summoperè interturbare noverint spiritus & sanguinem, nullibi nocentiora sunt & magis intempestiva quàm in gravidis. Quo subtilior enim tunc motus innovatur, in mammis, in utero, in toto corpore, eò facilius potest lædi.

Ultimo loco considerandæ veniunt CAUSÆ PRÆTERNATURALES. Ita intensiorum post partum dolorum causâ puerperii purgamenta sæpè subsistunt, quatenus archeum uteri ab opere suo avocant; vid. *Ettmüllerus disert. de virt. opii sudoris. p. m. 38.* imò dolores, cum sint torres corporis & carnifices, apti satis sunt ob spinam infixam remorari circulum sanguinis, affluxum verò & effusionem febrilem intendere, quod suprà jam tetigimus.

Quod si mala uteri constitutio adfuerit, aut à partu laboriosiori læsio vehementior, & ex hoc fonte febris scaturire satis potest. Tacemus à rebus præternaturam in utero contentis, videlicet secundinis, molâ, grumis sanguinis, putrilaginem concipi facillimè, & sic communione cum massâ sanguineâ febrim.

CAPUT V.

Differentias excutit.

SI DIFFERENTIAS purpuræ, ut par est, lustrare velimus & in conspectum ducere, distinguenda fuerit

I. RATIONE GENÆRIS, & quidem ratione *idea* febris. Hæc quandoque æmulatur synocharum vel putridarum genium, & tunc benignior est: interdum malignarum vestem induit & acutiorum in morem fallaci lusu se gerit, dum primâ fronte abblanditur, postmodum majori impetu prorumpit, & tyrannidem in tenellum corpus exercet.

2. Ratione *macularum* (1.) in *quantitate*, tum *continuâ*, aliæ enim sunt majores, minores aliæ, aliæ latæ, rotundæ aliæ; tum *discretâ*, modò enim majori, modò minori copiâ in conspectum veniunt. (2.) *colore*, mox rubrâ, mox albâ superbiunt veste. Hinc distinguuntur à *Neurkranzio*, attestante experienciâ, in purpuram rubram & albam, *lib. de purp. p. m. 215.* (3.) *Vehementiâ*, alia enim benignioribus, gravioribus alia contra naturam insurgit symptomatibus. (4.) *motu & duratione*, alia citius 4. 7. 14. die absolvitur, alia tardius & ad 20. usque durat.

II. Ratione SUBJECTI, alia fit utero ipso intimius læso, alia ut viâ solum habente, alia mammis concurrentibus, alia primaria est, alia comitata, alia symptomatica.

III. CAUSARUM ratione, totuplex est, quot aliàs causæ diversæ assignari possunt. Alia solitaria, alia mixta est.

CAPUT VI.

Signa diagnostica recenset.

CUM signa sint veluti faces in itinere Medico accensæ, dicente *Epiphanio Ferdinando*, & cognito per sua signa morbo, facilius in ejusdem curatione progressum faciamus, hæc jam pensitanda veniunt.

Repetendum verò hîc est, convenire purpuram hanc cum aliis febribus continuis, quoad radicem, discrimen-

lar;

largiente causâ potissimum speciali, subiecto & specie exanthematum. Desumuntur ergo SIGNA purpuræ puerarum diagnostica I. AB ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS. Infestat enim corpus ab initio lenis horror vel rigor, adeò ut etiam ægræ quoad sensum hostem adesse vix sibi persuasum habeant, sed sapissimè aëri corpus ambienti adscribant. Sequitur hunc quasi à pedibus calor, itidem ab initio lenis, mox verò ingravescens, concomitante nonnunquam sudore circa frontem, pectus ac dorsum. Pulsus hinc celer redditur, isque febrilis. Probè enim conjungenda sunt febris omnis signacula, calor p. n. & pulsus celer; distinguendus verò hic à nonnaturalis, ut itaque loquar, qui ut à doloribus aliis, ita & partus citatur paulò, sed sensim sensimque subsidet, ut contra ea h. l. augetur.

II. A POSTESSENTIALIBUS seu symptomatibus, quæ plenis quasi velis in corpus hinc irruunt, in primis quoad actiones læsas omnis generis (1.) In *naturalibus* omnis emoritur appetitus, adeò ut etiam cibum nauseent & non rarò de affecto ventriculo querelas ducant: fitis verò modò aucta est, modò imminuta pro lymphæ & caloris vicissitudine saliumque exuperantiâ vel dilutione.

(2.) In *vitalibus* vires concidunt, anxietates periculosæ cordis, & respiratio difficilis nonnunquam ægram molestant; pulsus, qui ab initio celer & magnus erat, in morbi augmento frequens, seu parvus & debilis, sæpè evadit. Aliquando & cor tremit, uti meminit *Langius lib. 3. epist. 2. p. m. 878.* (3.) In *animalibus*, dolet caput, vigilæ urgent, vel somnus inquietus, turbulentus redditur, jactitatio & inquietudo multum defatigat corpus, oculi squalent, scintillant, ferociunt, dolent, & ab elevatâ materiâ acri lancinante in caput gravissima se sistunt symptomata, veluti delirium, mania, epilepsia, qualia exempla enumerat *Sennert. lib. 4. prax. part. 2. sect. 7. cap. 7.* Interdum etiam stupor & ἀσυνία sequitur.

In *excretis* & *retentis* cutis squalida est, vel uvida etiam, sudores nonnunquam frigidi, alvus vel laxior, vel constipata sanguinem, stillant quandoque nares. Urina aliquando sanorum similis, secretionem verò materiæ morbosæ factâ in crassam & turbidam abit.

In *qualitatibus mutatis* exanthemata se exerunt, considerata non quoad maculas solùm sed & asperitatem & cutis crispationem aliquam, ac pruritus prorenatâ ipsum. Enimverò non diffitendum est, quibusdam ipsas petechias erumpere & locum illum adimplere, in aliis verò & frequentius purpura emicat, & duplici quidem facie conspicua, modò rubra, sanguini, modò alba, sero magis debita: illa sine, hæc cum materiâ magis æmulantur sæpè sudamina pustulas granorum milii æmulas, ichore aliquo in centro contento, eoque ferè fixo. Ὁ χρώς, inquit Hippocrates, φλυκταίνων κατὰ μίμλαται, καὶ ἐρυθμήματα φύει. Corpus pustulis impletur, & facies rubores profert. l. de nat. mul. c. 12. t. 13.

Causæ prægressæ circa partum & post illum obviæ latere nequeunt; eaque omnia obsignat SIMILITUDO, factâ unius cum alterâ vel secum ipsâ comparatione.

CAPUT VII.

Signa prognostica enarrat.

NUllibi magis Medicus famæ suæ discrimen subire potest, quàm in eruendâ prognosi, imprimis febrium malignarum, quarum eventus summo perè dubius est, cum juxta *Coi* effatum verissimum 2. aphor. 19. in acutis his non omninò certæ sint salutis aut mortis prædictiones.

SALUTIS & MORTIS circa purpuram PRÆSAGIA hæc desumi possunt è suis consuetis fontibus, v. g. Ex ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS. Purpura simplex, modò transpirationi ægra velificetur, nec in diætâ peccet, facile cedi

cedit, causâ vehementiori non urgente. Gravior & mali moris periculosa, ob insidias, quas vitæ struit variis modis, maximas, sæpè enim anguis in herbâ latet. Neque enim mitiori gradu blandienti fidendum æquè, cum ut in aquis lento gradu labentibus profunditas, ita hi cæ in febribus malignitas lateat. Quo pulsus frequentior & debilior, eò pejus signum.

EX POSTESSENTIALIBUS, quo major ab invasione graviorum symptomatû syndrome ægras invadit, eo ægrius evadunt. In facultate *naturali* ciborum abhorrescentia adeò mala non est, ast plenariæ restitutionis spes non affulget, nisi hos iterum appetant. Sitis deficiens pessima, quia denotat, naturam sibi amplius minus consulere; nec infatiabilis tamen boni quid præfagit.

In *vitali* pulsus debilis, inæqualis, tremulus, convulsivus, ut plurimum lethalis. Respiratio difficilis, anhelosa & sublimis ita ut ægræ amplius jacere, non possint, sed in lecto sedere cogantur præ suffocationis metu, periculosa plenum opus alex exhibet; cor enim summè laborare & sanguinem non liberè in pulmonibus ventilari, sed grumescere denotat.

In *animali*, si statim in principio graviora symptomata sanctius regimen occupent, nec post macularum eruptionem cessent, maximum periculum portendunt; tale est delirium, nullum enim delirium tutum. Vigiliæ quo pertinaciores, eò peiores, nec sopor tamen bonus est. In phrenitidem versum malum pessimum. Motus convulsivi, oculi feroces & torvi, cum bulborum dolore, decubitus item negligens & denudatio indecens, & ad pedes sublapsus corporis reliqui rem deploratâ pronuntiat.

In *excretis* & *retentis* si maculæ die critico, quarto, septimo, nono, aut undecimo efflorescant, cum indiciis coctionis & robore naturæ, adeò malæ non sunt, sed, si cætera consentiant, naturæ trophæum augurantur. Contra ea si minori cum tolerantia erumpant, aut post eru-

ptionem mox retrocedant, subsequâ difficili respiratione, & summâ cordis anxietate, nisi in tempore his recensitis phænomenis succurratur, de vitæ spe actum est. Sudores & hæmorrhagiæ si sint criticæ, benè res habet, modò constanti cum salute eveniant. Alvi fluxus malus est.

In *qualitatibus mutatis*, si rubræ sint maculæ, ferè benigniora adjuncta habent fata, nisi ægra errorem aliquem committat; si contra hæc albæ, lividæ, fuscæ, vel aliis cum malis signis, pejora, ob ichorefcientis feri copiam.

Ratione TEMPORIS eventus, seu durationis, brevis est hic morbus, nisi enim primâ suffocetur in herbâ, ut plurimum intra quatuordecim dies puerperas jugulat. Degenerans etiam longius durat. MODUS EVENTUS varius est. Ad *salutem* vergit, si lochiorum beneficium iterum appareat, quo mediante stagnantes vitiosi, corrupti, purpuri humores educantur aut, si non hac viâ, saltem aut per diaphoresin vitiosa concepta miasmata archeus fecernat. Ad *mortem* verò terminatur, si vel pertinaci lochiorum adstrictioni, vel viribus alioqui jam satis debilibus, motus convulsivi, epilepsia, vel stupor aliaque similia superveniant.

CAPUT VIII.

*Curationem & quidem ex fonte chirurgico
exhaurit.*

VHis hætenus ad purpuræ cognitionem necessariam spectantibus, meritò nunc properamus ad ipsam CURATIONEM, quæ secundum consuetam methodum à tribus pendet indicationibus, nimirum curatoria, præservatoria & vitali.

CURATORIA consistit in eo, ut *μίασμα* peregrinum, salino sulphureum, fermentativum in utero conceptum, & massæ sanguineæ impressum, invertatur, expugnetur, & sanguini & sero pristinus vigor restituatur.

PRÆSERVATORIA causas sollicitè inquirunt, & inter has ceu exempli loco, lochia commorantia ad meliorem fluxum disponit, ne ex illorum stagnatione morbus incrementum capiat.

VITALIS symptomata urgentiora & vires dejectas respicit, ne filum vitæ abrum pant. Hæc recepta methodus remedia sibi exposcit ex triplici fonte, nimirum Chirurgico, Pharmaceutico & Diætetico.

Ex CHIRURGIA primo loco V. S. mutuamur, generosissimum ac nobilissimum medicamentum, omnis intemperiei & *συστροφῆς* sanguinis strenuum averruncum. Ob stare videtur ejusdem usui, quod mulieres suâ naturâ admodum debiles videantur, & puerperas, præsertim primiparas, nonnunquam à partus gravissimis laboribus magnam virium suarum jacturam facere, satis constet. Verum, si adsit plethora, & stagnatio lochiorum subsistentium, inflammatio uteri, vires non penitus sint amissæ, & reliqua alia consentiant, alia non sufficiant, malignitatis sollicitudo absit, omninò ad venæsectionem tanquam ad sacram anchoram cum decenti prudentiâ confugiendum est, præsertim si detractiōis rationem habeamus, quoad pondus emittendi sanguinis, & quidem venam convenienti loco aperiāmus.

Hinc rectè eandem approbat *B. Rolfincius O. & M. comment. lib. 4. sect. 2. c. 6.* inquiens: cum puerperæ ex suppressis æstuant lochiis, sanguis demi potest tutò ex supernis & infernis. An verò apparentibus maculis purpureis V. S. sit concessa, legi meretur *Neucranz lib. de purpura cap. 24. pag. 385. Ludov. Sept alius lib 5. animadvers. med. §. 35.*

CUCURBITULÆ verò scarificatæ, ut vicariæ V. S. nis, rarius paulò tum in aliis febribus, tum puerperarum hisce in usum trahi consueverunt. Non de nihilo tamen sunt FRICTIONES, linteis calidis circa femora & crura institutæ, dum cutim laxant, poros aperiunt & corpus perspirabile reddunt.

VESICATORIA denique non suo carent fructu, li-

quant enim particulis acribus suis serum spissu r, & fermentum peregrinum volatile ad exitum promovent, vel saltem caput ab insultu speciali liberant, revellendo & educendo.

CAPUT IX.

Pharmaciam tractat.

Ex PHARMACIÆ armamentario depromi possunt, quæ & deplere, in quantum fas est, apta nata sunt, & confortare ac roborare valent

Propria magis puerpesarum remedia sunt LENIENTIA, quæ non solum archeum segniorem sui officii admonent, verum etiam humorem biliosum, acrem, peccantem leniter absque ullâ virium jacturâ exturbant, quale instar oranium est *rhobarbarum* electum, indeque parata infusa, cum carminativis & uterinis, *fol. meliss. rad. zedoar. galang. fl. rheir. cass. lign. croco* & aliis apparanda. Ita enim commodissime expurgatur uterus, sanguinis resistantis grumi resolvuntur, & putrilagoracetur. Usus etiam suum habent *fol. senna* electa, decenter adhibita, ipsique clysteres emollientes & lenientes.

At absint PURGANTIA fortiora, ipsaque EMETICA. Nil magis vires
suffuratur hoc casu & suspectum esse debet, quàm diarrhœa, nedum vo-
mitus ipse, vix quietos villos intempestivè laceffens. Neque ipsa MANNA,
ob dulcedinem, us & sirupi laxativi conveniunt, sed consultius omit-
tuntur.

DIAPHORETICA blandâ suâ diaphoresi maligna concepta mi-
smata & fermenta salino-sulphurea annihilant diffant & corri-
guunt, naturæque conatum adjuvant, & motum sanguinis promo-
vendo leniter lochiorum fluxum juvant. Ista verò cum specifica si-
mul genuina sint morbi, non opus est ut seorsim enarrentur longius.

Sanè, si quid aliud, blanda sudorifera & preservant. optimè à pur-
purâ, & maturè & debita dosi rectè administrata nonnunquam morbum
in prima radice sustollunt. Cavendum tamen est, ne nimio sudore vi-
res puerperæ exolvantur, vel parciore morbo non penitus satisfiat, so-
lo sudandi coactivo actu, citra fusoriam & præcipitantem vim unâ im-
pensam.


DIURETICA cum serum ad coagulationem primum salino suo principio fundant ac liquent, & vitiosorum humorum amurcā absumendo exitum liberiores iisdem concilient, & ad renes ac vesicam ex toto corpore educant, merito etiam suum sibi vendicant locum. Selectum autem & cautione opus est, ne, dum sanguinis calorem acidorum usu infringere studemus, eundem in vasorum uteri osculis hærentem coagulemus, aut uteri archeum minus à parvis laboribus placatum irritemus; acida enim utero apprimè sunt inimica, & præcipuè quæ nuper pepererunt, vel hystericæ sunt, maximopere offendunt. Hinc magis profuerint *cerefolium succinata*, oculi ☉, ☿ ☽ dulc. ☿ ☽ d. ☿ ☽ li cephal. & similia, præteriti statui magis simul accommodata. Acidula alia non nisi refractè

& μετ' ἀσφαλείας adhibenda, ut clyss. Antimonii sulphurat. R a papav.
rhæad. bekid. 4. flor. cordial.

Complementum addunt & pondus præcipuum ALTERANTIA & ROBORANTIA specifica, quæ ita debent esse comparata, ut subjectum morbi & causæ, quorum illud cor est, hoc vero uterus, exactè respiciant, ut malignitatis fomes abarceatur & febris incrementum inhibeatur.

Hunc censum suppleant bezoardica & malignitati resistentia, volatilia fixa & media, ut & præcipitantia temperata, cordialia, nervina & uterina, Ra bezoard. Mich. Rolsinc. VVedel. CC. ebor. liqu. CC. succinat. the-
riaca cælest. pulveres bezoardici, pannonic. rub. epilept. March-
zium diapb. bez. min. Martiale, 24ale, C. C. philos. diascord. Fracast-
lap. bez. orient. & occid. magist. matr. perl. CC. corn. alciæ, unicornu fos-
sile &c. Ex aquis ad portiones & julepos huc faciunt aqua scorz. card.
bened. sambuc. acetos. acetosell. galeg. scabios. cherefol. cord. H. S. frig.
prophylact. Cinnabarina, v. g. cinnab. nat. Hungarica, Antimonii, Oris,
specif. ceph Mich. optima, quippe humorum acrimoniam mitigant &
enormius irritatum nervosum genus placant.

Frigida & adstringentia non nisi parciore manu sunt concedenda, ne poros & humores constringendo ac condensando, loquiorum salutarem fluxum inhibeant. Interim tamen & lymphæ fluxilitas iuvanda, & attemperanda, etiam per humectantia debita, principiorum vitalium proportionem observata. Scorsim miasmati putrido exhalanti ad cor & febrem hanc dubiam causanti maximè prospiciendum est, tum his dictis, tum myrrhatis, v.g. *ess. myrrh. simpl. & balsam. cum Spir. Tartari paratâ, essent. carminat. elix. proprietat. succinat. oleo bezoard.* nunquam enim bezoardica excludenda.

Nec minus uteri, utpote partis læsæ, habenda est ratio, per remixta, pro indicantium modulo, uterina, ut essent. *succin. castor. elix. uterin. Rolsinc.* —  **ci castorino, & aliis.*

Ultimo denique loco provehîmur ad usum opiatorum, quæ an in affectu nostro locum inveniant, meritò disquirendum est. Videntur primâ fronte non sine damno adhiberi posse, cum sanguinem figant & naturam in opere suo excernendi lochia impendant. Sed si largior eorum sit usus, hæc longè sunt verissima; si dosi refractâ & cum aliis bezoardicis vel alterantibus in usum vocentur, tantum abest ut naturam in opere suo impendant, ut potius illam adjuvent. Sic observavit *B. Ettmullerus* ab adhibitâ misturâ polychrestâ ex *lapid. 69.* cum *aceto & myrrha*, addito *opio*, multas puerperas à suppressio purgamentorum fluxu feliciter fuisse restitutas, quod ipsum refert in *dissertat. de virtute opii sudorif. p. 38.* Nec iisdem carere possumus, cum vigiliæ, dolores, tormina, ac deliria ipsa, horum usum exposcunt.

Externa quoque TOPICA uterinis succenturiantur, nec minus opem
ferre possunt variis modis. Sic ad *lochiorum restagnationem* fetus sic-
ci vel humidi per sellam conveniunt, qualem describit *Baldwinus Rons-*
seus de human. vit. primord. p. m. 119, ex herbis uterinis & emollientibus

v.g. *rad. bryon. alth. angel. aristol. long. fol. calamenth. meliss. artemis. matricar. sabin. fl. sambuc. melilot sem. lin. fœni græc. &c.* G. m. contusa insuantur sacculo, & in aquâ simpl. coctæ calidæ applicentur per vices. Balnea verò hoc casu minus locum inveniunt. Par ratio est aliorum, ex *bdellio, myrrhâ. succino, caryophyllis aromaticis, baccis lauri, juniperi, semine nigellæ, foliis sabina, calamenthæ, &c.* Suffumigium ad lochia restricta ex scoris reguli Antimonii commendat *Hartmannus in prax. p. 144. 173.*

Ad tormina sacculi & olea paregorica profuerint ex *ol. castorin. hyosc. succin. anis. carb. aneth. petrol. alb. chamomil. destill. junip. bacc. laur. & aliis.* Ad virium debilitatem balsama cordialia, analeptica, hysterica, *spec. proepitbem. cord. & alia,* pulvis concinnè applicantur, quæ fufius alibi videri queunt tractata.

CAPUT X.

Dietam ordinat.

DIÆTA ultimo loco explicanda restat, quæ consistit in legitimo sex rerum nonnaturalium regimine, estq; naturalis, vitalis & animalis. In NATURALI CIBI sint *ἐὺχρηστοὶ καὶ εὐπικτοί*, ut jussula avenacea & gallinacea, mace & croco medicata. Conveniunt succulenta & humidiuscula v. g. poma borsdorfforiana cum passulis cocta. Inter carnes gallinæ juniores, indicæ, capones, attagenes, turdi, alaudæ, perdices, lepores & capreolarum caro, caro vitulina, agnina, teneriorque bovina. Ex piscium genere concedendus lucius, trutta, gobiones. E contrario omnia acria, falsa, acida, infumata, cruda, fermentifica vitanda.

In Potu cavendum à potu frigido, utpote qui facilè lochia sistit, à musto item, cerevisiâ minus defecatâ, utpote tormina ac alia mala daturis. Vinum quoque, nisi modicus certis casibus sit usus, non concedendum; non denegandus tamen omnis potus, ne crudelissimi & immanissimi hominis officium agere videatur Medicus, sed concedenda cerevisia tenuis benè defecata, urgente æstu & si aliquot guttulis *clyss. Antimonii Ræ ros. viol. flor. bellid. instillatis. Decoctum quoque hordei cum rad. scorzon. fl. 4. cordial. CC &c.* commodè impenditur.

In VITALI AER sit temperatus, ne nimio calore calor febrilis intendatur, aut corporis vires penitus enerventur; frigidus verò omni studio vitandus.

In ANIMALI, SOMNUS & VIGILIÆ semper decentem servant alternationem, defectum vel excessum debitis semper modis corrigendo. Idem dictum esto de MOTUS ac QUIETIS regimine. Alvus si obstructa sit, intentio eò dirigenda, ut vel alimentorum, vel medicamentorum beneficio, suo fungatur quotidie officio.

ANIMI PATHEMATATA, ita, incror, terror, metus, tristitia, omni diligentia avertantur, cum quotidiana experientia multa infausi eventus offerat exempla.

Archiatro summo sit laus honor & Gloria.